

cardinali Viuariensi, fuitq; in ea celebratum officium missæ de domina nostra, per reuerendissimum patrem dominum Nicolaum archiepiscopum Gueznéssem. Quæ cantata, legebantur reliqua more sessionum, & reuerendus pater dominus Antonius episcopus Concordienfis legebat quoddam statutum, cuius tenor sequitur, & est talis:

¶ Decretum silentij.

Sacro sancta synodus Cōstantiensis &c. Præcipit & mandat sub poena excomunicatiōis latæ sententiæ, quæ cōtra uenientes incurrere uult ipso facto, & sub poena carceris duorum mensium & fautoriæ hæresis, ne aliquis cuiuscunq; status, autoritatis, gradus, ordinis, præminentię aut conditionis fuerit, etiam si Imperiali, regali, cardinalatus, archiepiscopali, episcopali præfulgeat dignitate, in hac præsentī sessione deo auctore hodie celebranda, ipsam sessionem seu pronunciatiōes & loquentes in eadem perturbet, murmuret, impediatur, aut quemuis strepitum uoce uel manibus aut pedibus faciat. Et quæ iam uateria deo annuente tractanda per omnes nationes & sanctos patres spūsancto dirigente, unanimiter & concorditer conclusa est (prout audieris) præhibet & mandat eadem sancta synodus sub simili poena ac fautoriæ hæresis, ne quis clamare, contradicere, aut etiam surgere, disputare, uel defendere, aut alta uoce loqui audeat, nisi ad hoc per ipsam sanctam synodum deputatus: alioquin contra facientes de creuit eo ipso excommunicatiōis uinculo innodatos, pœnas carceris & duriores expressatis, minime euasuros. Quam quidem constitutionem deputati quatuor nationum, uidelicet Antonius Concordienfis nomine Italicæ, Stephanus Doleñ. nomine Gallicanæ, Nicolaus Merseburgensis nomine Germanicæ, & Patrius Carthaginensis nomine Anglicanæ, dominus Ioannes Ostiensis præsidens nomine collegij cardinalium, per uerbum, placet, approbarunt. Consequenter episcopus Concordienfis legebat sententiā contra Ioannem Hufz de regno Bohemæ, qui fuit de gradus datus in præsentia concilij, & traditus curiæ seculari.

¶ Sententia contra Ioannem Hufz.

Sacro sancta generalis Constantiensis synodus ecclesiam catholicā representans, in spūsancto legitime congregata, ad perpetuam rei memoriam. Quia teste ueritate arbor mala fructus malos facere consuevit, hinc est, quod uir damnatæ memoriæ Ioannes Vuicleff, sua mortifera doctrina non in Christo Iesu per euangelium, ut olim sancti patres filios genuere, sed contra CHRISTI salutarem fidem uelut radix uirulenta plures genuit filios pestiferos, quos sui peruersi dogmatis reliquit successores, aduersus quos hæc sancta synodus tanquam contra spurios & illegitimos filios cogitur insurgere, & eorum errores ab agro dominico tanquam uepres nociuas, cura pauperculo & cultro autoritatis ecclesiasticæ rescicare, ne ut cancer serpent in pernecione aliorum. Cum itaq; in sacro generali concilio nuper Romæ celebrato decretum fuerit, doctrinam damnatæ memoriæ Ioannis Vuicleff damnandam esse, & libros eius huiusmodi doctrinam continentes, fore tanquam hæreticos comburendos, & doctrinam ipsam damnatam, & libros eius tanquam doctrinam insanam & pestiferam includentes, combustos fuisse cum effectu, & huiusmodi decretum autoritate concilij fuerit approbatum, nihilominus tamen quidam Ioannes Hufz in hoc sacro concilio hic personaliter constitutus, non Christi, sed potius Ioannis Vuicleff hæresiarchæ discipulus, post & contra damnationem & decretum huiusmodi ausu temerarij cōtraueniens, errores eius plures & hæreses tam ab ecclesia dei, quam etiam à certis olim reuerendis in Christo patribus, dominis, archiepiscopis, & episcopis diuersorum regnorum & magistris in theologia plurimum studiorum condemnatos, dogmatizauit, asseruit, & prædicauit, præsertim damnationi scholasticæ ipsorum articulorum Ioannis Vuicleff factæ pluries in uniuersitate Prageni, cum suis complicibus in scholis & in prædicationibus publicè resistendo, ac ipsam Ioannem Vuicleff uirum catholicum

Math. 7. c
1. Cor. 4. d